



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 2. De Convenientia Mysterij Incarnationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

scamus per locutionem suam revelantem existentiam Incarnationis, quin exinde inferatur Incarnationis existentia.

59. Quamquam enim fides solum assentiatur per simplicem adhesionem ad Verbum DEI modo, quo late diximus in tractatu de fide: at discursus non ita procedit, sed nititur præmissis, ita, ut non possit conclusionem inferre ex una, aut altera solum præmissa, bene verò ex utraque simul; ad eum igitur modum Angelus naturaliter discurrens, licet non inferret existentiam Mysterii ex sola revelatione non applicata ipsi, neque ex solis miraculis non applicantibus revelationem, inferret tamen existentiam ex utroque simul. Ad confirmationem dist. ant. est falsa ex respectu ad terminum purè naturalem, nego, ex respectu ad terminum supernaturalis conc. ant. & nego con., quia cum Angelus non possit naturaliter cognoscere existentiam hujus termini supernaturalis, cognoscere, inquam, per enuntiationem, ut procedit quæstio, exinde nequit naturaliter cognoscere, an propositio negans, vel affirmans talem terminum sit vera vel falsa. Ex dictis

60. *Fit. 1.* dupliciter accipi posse revelationem in præfenti ad cognoscendam existentiam Mysterii post revelationem jam factam. Primò accipi potest ut medium, sicut præmissa objectiva in hunc modum: Mysterium Incarnationis est à DEO revelatum, ut jam existens: ergo reverà existit. 2. accipi potest, ut occasio, ita ut admoniti per revelationem de Incarnationis existentia excitemur ad inquirendum in ipsam naturam media naturalia, per quæ probemus talis revelationis existentiam, & in eo casu dicitur revelatio removens prohibens:

sæpè enim plura, quæ ante oculos habemus, non advertimus, quia cum de illis non simus admoniti, non applicamus curam nostram ad illa advertenda, quæ tamen jam admoniti advertere, & investigare incipimus: certè cum in natura non habeamus medium ad inferendam existentiam Mysterii Incarnationis, ut constat ex dictis, non sufficit revelatio, si præcisè sumatur ut occasio ad hoc, ut deveniamus in cognitionem de existentia tanti Mysterii; nihilominus quia dantur aliqua congruentiæ, præsupposita revelatione possumus illas quærere.

*Fit. 2.* supposita fide posse naturalem rationem ejusdem fidei lumine adjutam vel fide saltem se habente tamquam occasione, conjecturis, & exemplis uti ad explicandum Incarnationis Mysterium. Hoc præstant SS. Patres primò variis exemplis, ut est illud desumptum ex conjunctione spiritualis animæ cum naturali corpore, & unius arboris alteri infra, & similitudine igniti, & candentis ferri. Secundò ex aliis fidei Mysteriis, ut quia una divina natura est in tribus suppositis, potest etiam divina virtute fieri, ut plures naturæ in uno supposito jungantur. Tertiò quia cum tota humana sapientia pervadere non potuerint hoc Mysterium esse impossibile, credibile sit hoc Mysterium possibile esse. Quartò quia sustentare aliud perfectionis est, si rationem, & imperfectionem potentia passivæ removeas: hoc autem fit in hoc Mysterio; sustentat enim Verbum naturam humanam absque imperfectione potentia passivæ altiori quodam terminandi modo,

\* \* \*

## DISPUTATIO II.

### DE CONVENIENTIA MYSTERII INCARNATIONIS.

61. **N**on est quæstio de convenientia utilitatis, & delectabilitatis DEUM afficientis: nam cum Deus in se, & ex se sit summum bonum & summè felix, nullo extra se indiget, ut commodius degat, vel crescat in sua felicitate: nec minus bonum est in se solus, quàm cum societate creaturarum, unde quando DEUS dicitur in Scriptura delectari de aliquibus rebus creatis, non intelligendum est de delectatione propria afficiente DEUM, sed de purè approbante, & benevolente, & quando dicitur aliquid DEO utile, solum intelligendum est de utilitate purè extrinseca, sive purè conducente ad consequendos suos fines, quòd perinde est, ac dicere, res creatas esse utiles ad alias creatas consequendas. Nec est quæstio de convenientia extrinseca utilitatis, ita ut dedecet Deum Incarnationis omisio: nam plura ex iis, quæ liberè fiunt, ita decent, ut non deceat eorum omisio: sic decet DEUM creatio mundi, quin dedecet creationis omisio; solum ergo est

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

quæstio de convenientia honestatis, quæ dicitur convenientia non purè negativa, sed positiva, ut præcisè sonat esse consentaneam, & conformem naturæ ad manifestandas speciales, & peculiare DEI perfectiones.

### SECTIO I.

#### Quibus fuerit conveniens Incarnationis Mysterium?

62. **A**spero 1. Mysterium Incarnationis fuit Deo conveniens ad manifestandas plures peculiare perfectiones divinas. Probat 1. DEUS est summum bonum: bonum autem est sui communicativum: atqui per Incarnationem DEUS se ad extra maximè communicat: ergo conveniens fuit DEO Incarnationis Mysterium ad hanc sui manifestationem. Hoc est præcipuum divi Thomæ argumentum, quod

E c 2

quod desumpsit ex Divo Dionysio. Confirmatur ex ipso Divo Thoma Opusc. 60. quod est de humanitate Christi, ubi ait: *congruebat hoc opus Deo, quem decebat sapientiam suam ostendere, potentiam, & bonitatem, quid autem potentius, quam conjungere extreme distantia; magna enim potentia fuit in conjunctione disparum elementorum, major in conjunctione illorum ad spiritum creatum, maxima verò in unione ad spiritum increatum? quid verò sapientius, quam quod ad complementum totius universi fieret conjunctio primi, & ultimi, hoc est Verbi Dei, quod est omnium principium, & humane nature, que in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum? quid benignius, & melius, quam quod creator rerum communicare se voluit rebus creatis? que benignitas magna fuit in conjunctione sui cum omnibus rebus per presentiam; major, quia communicavit se bonis per gratiam; maxima, quia se communicavit Christo homini, & per consequens generibus singulorum in unione Personæ; in quo testimonio maxime elucet plures Divinæ peculiare perfectiones per istud Mysterium manifestatæ: ergo &c.*

64. Probat 2. Illud dicitur conveniens Deo in presenti, quo perfectiones Divinæ manifestantur: sed manifestantur quam maxime per Incarnationis Mysterium: ergo &c. Probat 3. Mysterium Incarnationis pandit Divinam Sapientiam, quæ tantum opus excogitavit; bonitatem, quæ illud voluit; potentiam, quæ exequi valuit; misericordiam, quæ lapsis ita subvenit; charitatem, quæ Deo condignam satisfactionem exhibuit, & sic de aliis Divinis perfectionibus: ergo &c. Confirmatur ex Apost. 1. ad Timoth. 3. ubi de hoc Sacratissimo Incarnationis Mysterio ait: *magnam esse pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Quod respexit Damascenus lib. 3. Orthodoxæ Fidei cap. 1. dicens: *per Incarnationis Mysterium monstratur simul bonitas, & justitia, & sapientia, & potentia Dei. Bonitas quidem, quoniam non desepit proprii plasmatæ infirmitatem; justitia verò, quoniam hominem victo, non alio, quam homine fecit vinci Tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem; Sapientiam verò, quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem. Potentia verò insinua, quia nihil est majus, quam Deum fieri hominem: ergo &c.*

65. Afferro 2. Incarnatio Verbi Divini fuit quoque conveniens humanitati assumptæ non solum convenientiâ honestatis: verum etiam utilitatis, & delectabilitatis. Probat 1. facile ex dictis: per Incarnationem enim elevata est humanitas, ut ait Augustinus ad supremum gradum dignitatis supra omnes creaturas; siquidem ex vi illius unionis verum est, dicere: *Deus est homo, homo est Deus;* tum etiam ratione illius unionis debentur humanitati visio beatifica, gratia substantialis, adoratio Latræ, & alia quam plurima dona: sed hoc

nequit non esse humanitati honestum, utile, & delectabile: ergo &c. Confirmatur. Licet Mysterium Incarnationis non fuerit conveniens humanitati convenientiâ connaturalitatis, quia non fuit juxta, sed supra debitum, & jus naturæ; quo in sensu loquitur Div. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 1. ad 2. ubi ait, *Ad secundum dicendum, quod uniri Deo in unitate Personæ non fuit conveniens carni humane secundum conditionem suæ nature: at eo ipso, quod illa convenientia sit supra debitum naturæ, est multo aestimabilior humanitati; siquidem per illam multo magis Deo approximat, quam approximiari possit attenduntur exigentia suæ nature: unde Augustinus in Manuali cap. 26. ut familiarius diligeretur ab homine Deus, in similitudine hominis Deus apparuit: ergo &c.*

Afferro 3. Incarnatio Divini Verbi fuit conveniens toti generi humano. Probat 1. Omnia, & singula dona superna, quæ conferuntur toti generi humano, conferuntur ratione meritorum Christi, qui; ut ait Paulus 1. ad Corinthios 1. *factus est nobis Sapientia, & justitia, & sanctificatio:* sed hoc toti generi humano est maxime conveniens: ergo &c. Confirmatur 1. Maximus honor est humani generis, quod unus hominum sit caput Angelorum: sed hic honor nobis per Incarnationem advenit, ut constat ex paulo ad Ephesios 1. *IN JESU dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus: ergo &c.* Hanc rationem suo loco latè promovebimus.

Confirmatur 2. Cognatio humani generis cum DEO est maximum decus humani generis: sed hanc cognationem contraxit per Incarnationem, ut constat ex Div. Bernardo Serm. 3. in Vigilia Nativitat. ubi ita ait: *tres mixturas fecit Omnipotens in assumptione nostræ carnis, tria opera singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia facta sint, neque faciendæ amplius super terram: conjuncta quippe sunt ad invicem Deus, & homo, Mater, & Virgo, Fides & cor humanum: prima mixtura voluit Deus infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se majestas, ut, quod melius habebat, videlicet se ipsum limo nostro conjungere, ut in persona sua sibi invicem unirentur Deus, & limus, majestas, & infirmitas tanta, utilitas, & sublimitas tanta; nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantæque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, quidquid limus pertulit, Deus in eo pertulisse dicatur tam ineffabili, quam incomprehensibili Sacramento. Vide num. sequenti.*

Afferro 4. Mysterium Incarnationis fuit conveniens toti universo creaturarum. Probat 1. Illud Mysterium maxime fuit homini conveniens, ut constat ex dictis: sed exinde resultat convenientia saltem conjunctionis in omnes

nes creaturas universi; ergo fuit conveniens toti universo creaturarum. Probatum min. Omnes creaturæ sive materiales, sive spirituales habent quandam cognitionem cum homine, utpote constituto ex materia, & spiritu; quapropter dici solet microcosmus, seu mundus parvus; unde Gregorius in Evangelia omnis creatura aliquid habet homo, habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: ergo &c. Confirmatur. Ratione Unionis hypostaticæ manet natura humana incorporata DEO, quæ quidem dignitas ratione hominis diffusa est ad alias creaturas; sic Paulus ad Ephesios 1. *proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in Cælis, & quæ in terra sunt in ipso*: hæc enim humana dignitas, quanta fuerit, optime expendit Augustinus Tract. 80. in Joannem, ad illa Christi verba: *Ego sum vitis, vos palmites*, ubi sic disserit: *unius quippe natura sunt vitis, & palmites; cum ergo esset Deus, cujus natura non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus*: ergo &c.

69. Affero 5. *Mysterium Incarnationis fuit conveniens ipsis damnatis, ac proinde & Dæmonibus. Probatum facile. Damnati in Inferno, ac proinde Dæmones, ut docent Theologi cum Div. Thoma, puniuntur citra condignum, id est, minori penâ, quàm quæ juxta illorum demerita deberet infligi: sed hoc haberetur ex meritis Christi: ergo &c. Confirmatur 1. Damnatorum penâ accidentalis augetur per aliorum consortium, ut docent Theologi: sed plures, qui alias damnandi essent, modò salvantur ex meritis Christi: ergo per merita Christi minuitur penâ Dæmonum, & hominum damnatorum, quod est illis valde conveniens. Confirmatur 2. Ut haberetur 1. Joannis 5. in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli: sed hoc fuit Diabolo conveniens; siquidem si ejus opera non dissolverentur plures, qui nunc salvantur, damnarentur, & Diabolo accresceret major penâ accidentalis: ergo &c. Hæc enim clariora sunt, quàm majori explicatione indigeant.*

## SECTIO II.

## Solvuntur Opposita.

70. *Objicies 1. contra primam assertionem: ex Incarnatione Verbi Divini sequitur, majorem deberi à nobis amorem Verbo, quàm Patri, aut Spiritui Sancto: sed hoc non est Deo conveniens; ergo Incarnatio non fuit Deo conveniens. Probatum maj. Majorem amorem debemus illi, qui plura nobis beneficia fecit: sed ratione Incarnationis Verbum Divinum plura nobis beneficia fecit; siquidem*

pro nobis factus est homo passibilis, & mortalis: ergo majorem illi debemus amorem. Pater Granadus Controvers. 1. Tractat. 5. disp. 4. sect. 4. vocat hoc argumentum ante se à nemine excitatum, atque ex ipso tangit Godoy disp. 16. §. 1. At verò, ni fallor, est multum debile. Resp. igitur nego maj. ad probationem conc. maj. & nego min. Ratio est, quia Verbum solùm fecit nobis beneficium modo, quo voluit ea nobis conferre; illi enim nihil deberemus, qui nolens nobis benefacere, benefaceret; cum autem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eodem modo, eademque volitione velint benefacere nobis, ita ut non sint tria, sed unum volens, nec tria, sed unum faciens, cum Omnipotentia, & voluntas sint prædicata absoluta, quidquid Filio debemus, debemus etiam Patri, & Spiritui Sancto.

71. *Quamobrem licet solum verbum factum sit homo passibilis, cum tamen non sit distinctum volens à Patre Spiritu Sancto, nec distinctum faciens, non debemus illi majorem amorem, quàm Patri, & Spiritui Sancto, sed debemus æqualem amorem tribus Personis propter idem beneficium factum nobis à tribus Personis in filio, quod quidem adeò certum est, ut ipso naturæ lumine, vel ipsis Philosophis ethnicis innotuerit, sic Seneca lib. 1. de beneficiis, cap. 1. non potest beneficium manu tangi, animo cernitur; multum interest inter materiam beneficii & beneficium; itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ à proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. Et cap. 6. itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, sed qua mente, quia beneficium non in eo, quod sit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, aut facientis animo.*

72. *Objicies 2. Per Incarnationem depresso DEUS suam majestatem dicente Paulo ad Philippenses 2. Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, & habitum inventus ut homo, & 2. ad Corinthios 1. qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: hoc est, fecit, ut appareret sicut peccator; ergo Incarnatio dedecet DEUM, ac proinde non est conveniens DEO. Confirmatur. DEUM dedecet assumere naturam infectam, vel inficiendam peccato; ergo & passibilem, & morituram, ratione cujus verificetur DEUM pati, & mori. Resp. neq. ant. quia DEUS per Incarnationem nullam sui perfectionem amisit, unde solum dicitur se per illam exinanire, quia se communicavit hypostaticè humanitati, quæ comparatione DEI est quasi nihil, & quia sic apparuit, ut homo, & quasi esset peccator, qui innocentissimus erat, & verus DEUS.*

73. *I hoc autem non fuit deprimere, seu amittere perfectionem suæ majestatis, sed occultare ad alios suos fines ostendendos, quod significavit Paulus citatus num. 64. dicens magnum esse pietatis Sacramentum: est enim Sacramentum, quia occultum, & est occultum ad maxime ostendendam suam pietatem, maximumque*

que amorem, quod significavit Joannes cap. 3. dicens: sic enim DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eo, non pereat, sed habeat vitam æternam; & ut ait Apostolus ad Romanos 8. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit. In quo maxima DEI dignatio elucet. Ad confirmationem neg. consequentiam, quia peccatum est malum morale, cujus DEUS non est Author; pati verò & mori ratione naturæ assumptæ non est malum morale, sed physicum quod ob varios fines DEUS potest velle, ut patet in poenis damnatorum, & in animabus purgantibus DEO amicis.

74. Objicies 3. conjunctio eorum, quæ summè distant inter se est summè disconveniens, ut si quis in imagine picta humano capiti cervicem jungat equinam, aut in eodem subjecto summa sanctitas cum peccato copuletur; atqui DEUS cum sit simplicissimus, & essentialiter immutabilis summè distat à carne, quæ est maximè composita, & corruptibilis præsertim in homine; ergo &c. Confirmatur: inconveniens est eum, quem mundus capere non potest, & ad quem pertinet cura totius rerum universitatis, qui est DEUS, intra corpusculum vagientis infantis latere, atque ad illum totius mundi curam transferre, ut scribit Volusianus ad Augustinum epist. 2. post medium: sed hoc fit per Incarnationem; ergo &c. Respondeo dist. maj. est summè disconveniens si ratione conjunctionis non detur proportio perfectibilis & perfectivi conc. si detur ea proportio nego maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ad confirmationem dist. maj. si ita latendo amittat perfectionem aliquam, vel non possit habere perfectam universi curam conc. si nullam omnino perfectionem amittat, nego maj. & dist. min. neg. consequentiam.

75. Ratio est; quia quo major est distantia inter perfectivum, & perfectibile, eò est major aptitudo, ut unum perficiat, & alterum perficiatur, si nihil aliud obstat: sic forma rationalis, quæ distat à materia magis, quàm forma equina, perficit magis naturam, quàm forma equina: atque eo modo comparantur humanitas potens perfici à verbo, & Verbum potens perficere hominem: unde non est simile de imagine, cujus consonantia non perficitur sed destruitur per magnam distantiam unius partis ab altera, ut si haberet corpus equinum, & caput humanum; neque est paritas inter sanctitatem, & peccatum; cum non possit peccatum ullo modo perfici à sanctitate; tum etiam Verbum Divinum infantili corpori unicum non exinde dimittit curam Universitatis, sed ubique simul adest, & omnibus provider ad eum modum, quo anima rationalis sic adest tota uni parti corporis, ut simul adsit reliquis partibus, easque omnes vivificet, & regat: eorum namque solummodo proprium est angustiis loci coarctari quoad entitatem, & operationem, quæ mole, non virtute magna sunt,

qualis certè non est DEUS, ut responderet eundem volusianum, & luculenter prosequitur Augustinus epist. 3.

Objicies 4. Humano generi ratione peccati debebatur, ut pœna omnium donorum supernaturalium privatio, ac proinde & privatio Incarnationis, quæ est donum inter reliqua maximè supernaturale: atqui non est conveniens, sed inconveniens, ut peccatori non infligatur debita pœna ergo; Incarnatio non fuit conveniens, sed inconveniens. Confirmatur inconveniens est, id concedi peccatori, quo nihil majus concedi potest innocenti; sic enim tolleretur justæ dilectioni spes, & iniquitati timor; sed nihil majus Incarnatione Verbi Divini concedi potest innocenti; siquidem hoc donum cætera omnia dona in se continet ex illo Pauli ad 2. Rom. 8. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit: ergo &c.

Respondeo dist. maj. debebatur pœna, cui Deus propter altissimos fines cedere non posset, nego maj. pœna, cui cedere posset, omitto, & dist. maj. neg. conseq. ratio est, quàm nulli sit injuria, quòd DEUS cedat juri, cui cedere possit; imò cessio illa non abstulit morivum spei, & timoris; nam dona homini collata sunt, ut possit benè operari, & sic obtinere gloriam, vel si eà gratià uti nolit, consequatur poenam æternam. Dixi omitto, quia rigorosè non debebatur homini illa privatio Incarnationis, cum homo non acquirat jus ad eam privationem, ut dicemus, quando agemus de abundantia satisfactionis Christi. Ad confirmationem dist. maj. inconveniens est, si supremus dominus ob altissimos suos fines non possit habere modum obtinendi condignum meritum, vel condignam satisfactionem, aut nolit specialem gratiam facere peccatori remittendo illius peccatum, aut vires conferendo, quibus possit accedere ad remissionem, concedo, si habeat modum obtinendi, obtineat, & accepter condignam satisfactionem, vel specialem gratiam facere velit, nego maj. & dist. min. neg. consequentiam; quia licet Deus pro innocentibus & peccatoribus sit Incarnatus, nemini tamen præmium conferet, nisi habita jam condigna Christi satisfactione, & juxta modum, quo quisque adultorum operatus fuerit, rationemque accipiet, de modo, quo in accepto beneficio se gessit, in quo nulla elucet iniquitas, sed maxima Dei misericordia.

Objicies 5. Inconveniens est, infinitam sanctitatem conjungi cum natura per peccatum infecta; juxta illud ad Corinthios 6. quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? atqui tota natura humana erat per peccatum infecta: juxta illud Genesis 6. omnis quippe caro corruerat viam suam super terram: ergo nulla erat caro, quæ non esset positive indisposita ad congruam dispositionem Verbi Divini proindeque non fuit conveniens, sed maximè inconveniens, Verbum Divinum incarnari. Confirmatur: non est minus inconveniens, quòd Deus admit-

admittat ad consortium suorum bonorum naturam lapsam, quam quòd excluderet innocentem; sed non esset conveniens, sed inconveniens, si excluderet innocentem: ergo non est Deo conveniens, sed inconveniens, quòd per Incarnationem admittat ad consortium suorum bonorum naturam lapsam.

79. Respondeo omitto maj. & nego min. quia caro à Christo assumpta nunquam ullo peccato infecta fuit, nec continetur in generalitate testimoniorum de infectione humanæ naturæ, quia non descendit per feminalem propagationem ab Adamo, quin potius propositiones universales aliquam exceptionem patiuntur, quam in præsentem etiam agnoscimus in Deipara absque peccato originali concepta; Deipara namque accepit naturam ab Adamo prout in statu innocentia considerato, non verò prout culpâ infecto; quo in sensu intelliguntur verba illa Cantic. 7. *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*; etenim verba illa *gressus tui in calceamentis* significant ingressum, seu inuicem vitæ, tuncque Deipara dicitur *Filia Principis*, quamquam reliqui puri homines dicantur filii servi; quæ quidem comparatio habetur relatè ad Adamum consideratum in duplici statu, nempe in statu innocentia, in quo erat Princeps, & in statu peccati, in quo erat servus. Quamquam ergo reliqui puri homines descendant ab Adamo ut servo, & peccatore; Deipara verò descendit ab Adamo innocente, & Principe: ex hac ergo Virginis carne purissima carnem assumpsit Verbum. Addo, quòd illud Genesis testimonium solum loquatur de corruptione hominum ante diluvium propter peccata personalia.

80. Ad Confirmationem nego ant. quia natura innocens per gratiam habet jus ad hæreditatem, quatenus illi affert exigentiam ad gloriam, quæ exigentia dicitur jus latum erga Deum; cedere autem huic juri non attinet ad DEUM, licet jus illud superet; sed ad naturam innocentem, quæ hoc jure gaudet; at natura lapsa propter peccatum non acquirit jus ad pœnam, sed Deus acquirit illud; cùmque DEUS cedere possit juri à se acquisito, potest sine inconvenienti non punire peccatorem remittendo peccatum, licet non possit punire justum cedendo illius merito; hoc enim saperet crudelitatem, illud autem misericordiam, quæ nullam indecentiam Deo afferret, sed decentiam potius maximam.

81. Objicies 6. Ratione Incarnationis Verbum Divinum est conversum in carnem; sed hoc est inconveniens DEO; ergo &c. Maj. prob. illa verba Joannis 1. *Verbum Caro factum est*, significant conversionem Verbi in Carnem; sicuti cùm dictum Joannis 2. *aquam vinum factam*, significat, aquam fuisse conversam in vinum: ergo &c. Respondeo nego maj. ad probationem nego ant. quia illa verba *Verbum Caro factum est* solum significant, quòd Ver-

bum factum sit homo, qui sensus non solum certus est ex aliis Scripturæ testimoniis, verum etiam est genuinus sensus verborum; sic enim dicitur homo fieri sanus, non quia in sanitatem convertatur, sed quia sanitatem acquirit; sic Genesis 2. dicitur, *homo factus in animam viventem*, & ad Hebræos 7. dicitur *Christus factus Pontifex*, ad Philipenses 1. *factus homo formam servi accipiens*, unde Gregorius lib. 9. Epist. 61. *Verbum Carnem dicimus factum, non immutando, quod erat, sed suscipiendo, quod non erat*; nostra auxit, sua non minuit, quod maximè Deum decet.

In illo autem loco Joannis 2. ex ipsa re, 82. de qua agitur, & ex antecedentibus, & consequentibus colligitur, aquam factam esse vinum per conversionem ex quo non fit, omnem similem locutionem eodem modo explicandam esse, sed debemus attendere ad antecedentia, & consequentia, & ad alia Scripturæ testimonia se adjuvantia, & explicantia; quamvis enim aqua dicatur conversa in vinum, non tamen dici potest; aqua est vinum; sicut in Scriptura sæpe dicimus: Christus est homo; ut habetur ad Romanos 5. Joannis 8. 9. & 10. Matth. 15. & sæpe alibi; si enim hæc non intelligantur juxta hanc regulam generalem, facile ex argumento probaretur, quod Adversarii non concedent, nempe Verbum conversum esse in peccatum, seu maledictum, quia 2. Corinth. 5. de Christo dicimus, *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, & ad Galatas 3. *factus pro nobis maledictum*; sicut ergo, inquit Athanasius Epist. ad Epich. dicitur *pro nobis factum esse peccatum, id est, hostia pro peccato, non quia in peccatū conversū sit, sed quia carnem assumpsit, in similitudinē carnis peccati, in qua hostiā offerre posset pro peccato, ita dicitur Verbum Caro factum, non quia in carnem transit, sed quia carnem sibi in unitatem Personæ copulavit.*

Juxta hæc obiter explicanda est aliquorum P.P. locutio, quæ hic objici possit, quoniam videntur interdum dicere, ita Verbum esse carnem factum, sicut in Eucharistia panis fit Corpus Christi. Sic Justinus Martyr Apolog. 2. pro Christianis: *quemadmodum per Verbum Dei caro factus JESUS Christus Salvator noster carnem, & sanguinem pro salute nostra, sic etiam per Verbum precatōnis, & gratiarum actionis sacramentum ab ipso alimoniam, que mutata nutrit nostras carnes, & sanguinem illius incarnati JESU carnem, & sanguinem esse dicimus.* In his quippe, & aliis similibus locutionibus comparatio in hoc solum posita est, quòd sicut Verbum incarnatum unam carnem, & sanguinem habuit, ita sub speciebus carnis, & vini consecratione est vera caro, & sanguis Christi, ut ipsa Justini verba manifestè declarant; unde similitudo in modo unionis, seu mutationis posita non est.

Objicies 7. instando simul solutionem: SS. 84. Patres sæpe comparant hypostaticam unionem cum

cum unione animæ & corporis, ut constat ex Epistola Leonis Papæ ad Julianum, ex Justino Martyre in expositione fidei, Cyrillo Epistola ad Monachos Egypti, Augustino Epistola 17. & tract. 47. in Joann. circa finem. Atqui anima & corpus ita conjunguntur, ut ex eis resultet una sola natura, ergo vi Unionis hypostaticæ sola manebit in Christo una natura, ac proinde natura humana converteretur in divinam, vel divina in humanam. Confirmatur ex Cyrillo Epistola ad Succellum. *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Verbi DEI Incarnatam*; quam locutionem comprobatur auctoritate Athanasii; ergo &c.

85. Respondeo ex Damasceno lib. 3. cap. 26. Athanas. Justinian, aliisque SS. Patribus dist. maj. comparant quo ad omnia, nego, quo ad aliqua conc. maj. & dist. ant. min. nego conseq. unde in exemplo adducto in duobus tenet similitudo, quod sicut corpus & anima, quamvis diversæ naturæ sint, in una Persona conveniunt, ita natura humana & divina, quamvis diversæ sint, in una persona copulantur. Est tamen in hoc discrimen: nam illæ sunt imperfectæ, seu partes essentielles, ideoque non tantum unam personam, sed etiam unam naturam componunt, at divina & humana sunt integræ & perfectæ in ratione naturæ, quæ possunt ad componendam unam naturam immediatè conjungi inter se. Secundo tenet similitudo in hoc, quod sicut anima operatur per corpus tanquam per organum sibi substantialiter conjunctum, ita divinitas per humanitatem operatur, tanquam per organum conjunctum sibi substantialiter. Ad confirmationem conc. ant. & nego conseq. quia Cyrillus non negat in Christo duas naturas, sed solum asserit, unam naturam Verbi Incarnatam esse, sive carnem assumpsisse, quam expositionem in eadem Epistola habet ipse Cyrillus, aliique Patres & Concilia, quæ videri possunt apud Exim. Doct. disp. 7. sect. 2.

86. Objicies 8. contra secundam assertionem: humanitas manet violenta sine substantia propria, quam naturaliter exigit; ergo humanitati assumptæ non fuit conveniens Incarnatio. Confirmatur. Licet defectus materiæ, quam naturaliter exigit anima rationalis, compensetur in statu separationis per nobiliores operationes, quas ibi exercet; manet nihilominus violenta sine materia: ergo licet humanitati compensetur per substantiam nobiliorem defectus propriæ substantiæ, quam naturaliter exigit, manebit violenta sine illa.

87. Respondeo ne. ant. quia humanitas solum exigit substantiam, ut eliciat operationes, quæ attribui possunt supposito; operationes autem humanitatis revera attribuuntur supposito divino, in quo humanitas sistit, ac proinde habet supplementum indebitum ad finem, quem exigit, & quidem nobilius, quam suppositum, quod privata eo supplemento exigit; unde nullam patitur violentiam, ut ex

num. 2. patet. ad confirmationem omisso ant. nego conseq., quia anima separata quamvis eliciat operationem in statu separationis, non ideo allequitur finem, suum neque indebitum aliquod talis finis supplementum, siquidem finis exigentiæ suæ est constituere hominem, cui suæ operationes attribuuntur; hominem autem nequaquam constituit, dum est separata: neque ille nobiliores operationes sunt perfectiores homine, imò neque illi æquales in perfectione, quin potius perfectiores illæ operationes non sunt impossibiles cum anima beata, sicut est impossibilis subsistentia propria simul cum aliena, unde nulla est paritatis ratio.

Objicies 9. contra tertiam assertionem: adventus Christi fuit pluribus occasio ruinæ, & perditionis: ergo non fuit conveniens toti generi humano. Respondeo dist. ant. ex parte sui, nego, ex parte pravitate & malitiæ ipsorum, con. ant. & nego conseq. quia Incarnatio, quantum est ex se, toti generi humano fuit occasio vitæ, & salutis æternæ, DEUS enim ut ait Paulus 1. ad Thim. 2. *Omnes homines cultu salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quod autem non obstante hoc beneficio plures damnantur, non est in causa Mysterium Incarnationis, sed ipsorum malitia.

Objicies 10. contra quartam: nulla convenientia resultat a faxis, aliisque irrationalibus ex Mysterio Incarnationis: ergo non fuit conveniens toti Universitati creaturarum. Respondeo dist. ant. nulla convenientia intrinseca omitto; fortè enim non tantum durans, nisi in gratiam hominis redempti; extrinseca, & peculiaris cognationis, nego ant. & conseq. ratio est, quia cum omnia entia habeant cognationem istam cum homine, materia quidem, & imaterialia ratione materiæ, qua homo constituitur, rationalia verò, & spiritualia ratione formæ, qua homo constat, exinde elevato homine ratione hujus Mysterii, elevatæ quoque censetur hac extrinseca cognatione omnes creaturæ, unde assumendo naturam humanam, reliquas omnes creaturas quodammodo DEUS sibi specialiter copulavit, ut exponit Cajetanus quæst. 1. art. 1. & propterea fortasse ait Exim. Doctor disput. 3. sectione 3. omnes creaturæ invitantur ab Isaia ad hoc Mysterium perficiendum. *Rorate Cali de super, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Et amor totius mundi idem Mysterium tribuitur; Joan. 3. *sic enim DEUS dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*. Unde in hoc saltem sensu convenientia fuit Universitati creaturarum.

Objicies 11. contra quintam: Dæmones ardentè desiderant plures homines habere locos in inferno, ut ex prima Petri 5. *Frater Sobrius esto, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit quærens, quem devoret*; ergo Mysterium Incarnationis non fuit conveniens Diabolis, & damnatis. Respondeo dist. ant. ardentè desiderant deside-

sio rationabili, seu ordinato, nego; improbo, & irrationabili conc. ant. & nego conseq. quia, ut hoc Mysterium sit Diabolo, & damnatis conveniens, satis est, quòd illis afferat id, quod rationabiliter possunt appetere; ratio-

nabiliter autem appeti potest diminutio peccatorum, cumque hæc afferatur illis propter Christum, exinde Mysterium Incarnationis Dæmoni, & damnatis fuit verè conveniens.

## DISPUTATIO III.

### DE PHYSICA, ET METAPHYSICA NECESSITATE INCARNATIONIS.

91. **N**ecessitas est duplex, alia subsequens, & libertati consentanea, quæ ab aliqua suppositione agentis libera dependet; sic Deus producens unionem, necessitatur ad extrema, sine quibus nequit esse unio; at productio extremorum est libera DEO, vel in se, vel saltem in libertate productionis unionis; alia dicitur antecedens, & læsiva libertatis, quæ à nullo agentis libero exercitio dependet, ut si DEUS per aliquod prævium necessitaret hominem ad actum; in hac autem disputatione non est quæstio de prima, sed de secunda necessitate, quæ est triplex, scilicet metaphysica, quæ neque de absoluta DEI potentia potest frustrari; physica, quæ nulla vi naturali potest impediri; & moralis, quæ licet possit impediri physicè, & metaphysicè, attento tamen prudentum iudicio fundato in ingenti difficultate, ut oppositum eveniat, dicitur rem ita necessariò evenire; quærimus ergo, an DEUS aliqua ex his tribus necessitatibus adstrictus sit ad Incarnationem: agemus modo de physica, & metaphysica, acturi in sequenti de morali necessitate.

#### SECTIO I.

##### *An Deus fuerit necessitatus physicè, vel metaphysicè ad Incarnationem.*

92. **S**uppono ut certum, non distingui in DEO necessitatem physicam à metaphysica; ratio est, quia necessitas purè physica est illa, quæ impediri potest ab alio agente superiore; sed nullum est agens superius Deo, quod possit physicam necessitatem Dei impedire; ergo in Deo necessitas physica non est purè physica, sed simul metaphysica. Præterea necessitas physica impedita inducit rigorosam violentiam in agente, cuius conatus impeditur, si à superiori causa non possit habere supplementum; sed nullum est agens potens DEO inferre rigorosam violentiam, neque est causa superior, à qua ipsi veniat supplementum; ergo necessitas DEI physica nullo modo potest impediri, ac proinde in DEO non potest esse necessitas purè physica, sed si hæc sit, erit simul metaphysica: hoc posito.

93. **A**ffero 1. Nec physicè, nec metaphysicè fuit DEUS absolutè, & absque ulla suppositione

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

necessitatus ad Incarnationem. Ita omnes Theologi. Prob. facilè; fide certum est, DEUM liberè operari omnia opera ad extra; atqui Incarnatio est opus ad extra; ergo libera fuit facta à Deo, ac proinde absque necessitate physica, vel metaphysica, illam efficiendi. Confirmatur: Deus ita est agens perfectè liberum, ut perfectiùs esse non possit; atqui non esset tale cum physica, vel metaphysica necessitate ad Incarnationem: ergo &c.

Confirmatur 2. Incarnatio, ut constat ex 94. Joan. 3. & 15. & Paulo ad Romanos 5. & 9. ad Ephesios, 2. & 1. ad Corinth. 11. passimque alibi vocatur in Scriptura, *gratia Dei*, & tribuitur eximie ipsius charitati; sed non esset gratia nobis facta, si DEUS absolutè, & absque ulla suppositione, physicè, aut metaphysicè necessitaretur ad Incarnationem apponendam; ergo &c. Confirmatur 3. DEUS nequit necessitari à se ipso, cum in se habeat tantam felicitatem, quantum habere possit cum consortio omnium creaturarum: deinde nequit necessitari à termino; aliter necessitaretur ad Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti, cum non sit terminus minus nobilis, quam Incarnatio Filii.

95. **A**ffero 2. cum ferè omnibus Theologis contra Raymundum Lullium, ut ex ipsius discipulis refert Valquez. Non fuit DEUS physicè necessitatus ad Incarnationem ex præcisa suppositione mundi conditi. Dixi *ex præcisa suppositione &c.* nam si DEUS non solum vellet mundum condere continentem creaturas rationales, & irracionales, sed etiam continentem suppositum aliquod potens de condigno satisfacere pro peccatis, si à creaturis committantur, jam tunc ex voluntate Divina esset consequenter necessaria Incarnatio. Unde quæstio solum procedit de creatione mundi continentis præcisè creaturas rationales, & irracionales.

96. **P**robatur jam facilè conclusio: mundus conditus non exigit naturaliter Incarnationem, quæ est supra omnes puras creaturas, sive supra naturam universi, ut præcisè continentis creaturas rationales, & irracionales; ergo ex præcisa suppositione mundi conditi non necessitatur DEUS physicè ad Incarnationem. Confirmatur ab aliis: quamvis mundus conditus exigeret naturaliter Incarnationem, posset DEUS eam non concedere, sicut privat